

Prius cum per se aptari possit ad versum quemvis a c littera incipientem, cum reliqua quae habemus certae collocationis fragmenta ad priores scripturae ordines omnia pertineant, huc rettulit qui invenit Cerquand probabiliter. In secundo (son apud Ricolvium) Venostes agnovit iam Cessolius ratus vestigia versus praecedentis superesse ex vocabulo *inferum* praescriptionis v. 4 (quod fieri posse negavi mon. Aneyr. p. 132). Probabilis explevit Cerquandus *camunni*, quamquam ita admittenda est versum dispositio non satis aequabilis, maxime si *CAMVNNI*, non *CAMVNI* in titulo fuit. — 5 *isarchi* libri Pliniani. — 6 fragmentum hoc

8 *NI*

huc rettulit Cerquandus; eius ad septimum adiunctionem lapidum naturam nullo modo pati. — 7 *caenaunes* Leid., om. Vat. Ricc. Huc pertinet fortasse fragmentum a Cerquando demum repertum:

9 *AVN*

nam prima littera, quae utrum c fuerit an c Cerquandus ambigebat, qui eius commentarium ediderunt adnotaverunt confirmavitque Hirschfeldius superesse ex elemento a. Sub iis elementis cum spatium vacet centim. 35, ordo primus hic videtur finivisse; unde nomina ad sex ordines disposui. — Ad 8. 9 idem Cerquandus quamquam ipse dubitans, probabiliter tamen rettulit fragmentum a se inventum hoc:

10 *V*
OE

adnotans secundi versus elementum prius esse potuisse et o et o, alterum E F B R. — 10 *cosuanetis* Leid., *cosuanates* Vat., *cusuanetes* Ricc. — 11 *rucinates* Vat. Ricc., *inucinatis* (potius quam *irucinatis*) Leid. — 17 *allucones* Vat. Ricc. — 18 *brixenatis* Leid., *brixentes* Vat. Ricc. — 21 *namcuates* Ricc. — 23 *uauagri* Vat. Ricc. — 25 *agitabones* Vat. Ricc. — 27 *ucermi* Ricc. — 28 *carituriges* Vat. Ricc. — 30 *sontionti* Vat., *seontionti* Ricc. — 31. 32 fragmentum hoc:

11 *N*

adicet Hirschfeldius, addens latum esse supra cent. 11, infra cent. 16, altum cent. 71, litteras ut reliquias ex laterculo residuas altas esse cent. 18, supra versum priorem spatium vacare cent. 21. Id cum solitum inter binos laterculi interstitium aliquantum excedat, necesse esse aut ibi fuisse interstitium inter litteras duas (nam fragmentum latum esse supra cent. tantum 11, in fragmto autem quarto inter litteras binas VM, PI, LI spatium vacare centim. 12) aut versum priorem huius fragmto partem fuisse eius versus, a quo laterculus olim incepit, habentis a parte superiore spatium vacans solito maius aut praecessisse versum non totum perscriptum. Aptavi ad 31. 32, cum pari iure referri posset ad 10. 11. — 33 *edennates* Vat. Ricc. — 36 *gallitri* Vat., *gallitri* Ricc. — 37 *triulacti* Vat. Ricc.

Subieci indicem alphabeticum populorum qui nominantur in arcibus duobus hoc Tropaeensi Alpinorum armis debellatorum et Segusino populorum Cottianorum (n. 7231).

Acitavones	T. 25	Gallitae	T. 36	Segusini	S. 2
Adanates	S. 7. Cf. Edenates	Genaunes	T. 7	Sogiontii	T. 30
Ambisontes	T. 14	Iemerii	S. 12	Suanetes	T. 16
Belaci	S. 3	Isarci	T. 5	Suetri	T. 46
Breuni	T. 6	Lepontii	T. 19	Tebavii	S. 6
Brigiani	T. 29	Licates	T. 12	Triullatti	T. 37
Brixenates	T. 18	Medulli	T. 26. S. 5	Trumpilini	T. 1
Brodiontii	T. 31	Nantuates	T. 21	Turi	T. 41 (cf. p. 873)
Caenaunes v. Genaunes		Nemaloni	T. 32	Varagri	T. 23
Calucones	T. 17	Nematuri	T. 42	Uberi	T. 20
Camunni	T. 2	Nerusi	T. 44	Ucenni	T. 27
Catenates	T. 13	Oratelli	T. 43	Veaminii	T. 35. S. 10
Caturiges	T. 28. S. 4	Quadiates	S. 14	Velauni	T. 45
Cosuanetes	T. 10	Rucinates	T. 11	Venisami	S. 11
Ecdinii	T. 38. S. 9	Rugusci	T. 15	Vennonetas	T. 4
Edenates	T. 33. Cf. Adanates	Salassi	T. 24	Venostes	T. 3
Egui	T. 40	Savincates	S. 8	Vergunni	T. 39
Esubiani	T. 34. Cf. Vesubiani	Seduni	T. 22	Vesubiani	S. 13. Cf. Esubianii
Focunates	T. 8	Segovii	S. 1	Vindelicorum gentes quattuor	T. 9

Domuit Augustus gentes Alpinas per legatos suos expeditionibus diversis (Suet. Aug. 20); quarum apud rerum scriptores memorantur Varronis Murenae in Salassos a. u. c. 729 (Strab. 4, 6, 7 p. 205; Dio 53, 25; Liv. ep. 135; Cassiodor. ad a. 729; Suet. Aug. 21); P. Silii in Camunnos et Venostes a. 738 (Dio 54, 20); Tiberii Drusique in Raetos Vindelicosque a. 739 (Suet. Aug. 21 al.); suscepta a. 740 adversus Ligures in Alpibus maritimis degentes (Dio 54, 24). Eas expeditiones laterculus ita persecui videtur, ut incipiat ab expeditione adversus Camunnos et Venostes suscepta, quorum Trumpilinos socios fuisse consentaneum est, sequantur a Vennonetibus (4) ad Varagros (23) Raeti Vindelicique domiti a. 739 (vide vol. 3 p. 707), deinde Salassi veniant (24), agmen claudant Ligures maritimi, nam populorum a. n. 25 ad finem enumeratorum quos aliunde novimus, sedem habuerunt in Alpibus inter Segusionem et ostia Vari. Omnia haec bella ut arcus coniungit, ita ipse Augustus in monumento Aneyrano 5, 12 complexus est verbis his: [Alpes a reg]ione ea, quae [p]roxima est Hadriano mari, [ad Tuscum imperio adieci] nulli genti bello per iniuriam inlato, Graece: Αλπ[ει]ς ἀπὸ [τοῦ πελάγου τοῦ Εἰονί]ου μέχρι Τυρ[ρηνικοῦ τῆ] ἡγεμονία προσέδη[ν] καὶ οὐδὲ[v]: [τῶν ἐθνῶν πέλεμον ἀδίκως ἐπενεγκων]. Cf. Velleius 2, 90: *Alpes feris multisque nationibus celebres perdomitae*. Dionis locum 53, 26 ad a. 729: ἐψηφίσθη μέν ποι καὶ τὰ ἐπιώκηα αἴτοι . . . εἰπεὶ δὲ οὐκ ἔδειησεν αἴτα πέμψαι, ἀψίς τε ἐν ταῖς Ἀλπεσι τροπαιοφόρος οἱ ὄχοδοισθη in commentario ad monumentum Aneyranum p. 71 ad hunc arcum traxi errore; nam quamquam annalium scriptor eius monumenti ad annum, quo victoriae in eo celebratae coeperunt a Salassis, mentionem facere potuit, recte monuit Promis (Torino p. 77) Tropaea illa non videri arcus formam habuisse et aptius Dionis locum referri ad arcum adhuc prostantem in ipsis Salassis Augustae Praetoriae (cf. p. 757). Itaque Dionem credendum est de Tropaeis exposuisse ad annum eum, quo facta sunt, cuius annalis non habemus nisi epitomen. Locum Tropaeorum elegit senatus ipsam Alpem summam maritimam, nam numeri itinerariorum supru relati incident in Tropaea, neque aliam ob causam principium iugi Alpium vulgo statuebatur ad Monoecum (Strabo 4, 6, 1 p. 201). Monumentum autem victoriae eius, qua suos terminos Italiae Augustus vindicarat, senatus ita collocari iussit, ut in ipso iugo impositum a navigantibus quoque ex mari Tyrrheno longinque conspiceretur. Locum deinceps ex monumento nomen traxisse et Plinius innuit verbis supra relatis et clarus Ptolemaeus 3, 1, 2 inter Herculis Portum et Monoecum recensens Τρόπαια Σεβαστοῦ; quod nomen vel hodie manet mutatum in *Torbia* sive *Turbia*.